

ris: quia tunc uxor directe contrahit cognationem spiritualem, sicut & vir. Alio modo per actum proprium, sicut cum levat filium alterius de sacro fonte; & sic cognatio spiritualis transit ad uxorem quam jam carnaliter cognovit; non autem si nondum sit consummatum matrimonium, quia nondum effecti sunt una caro: & hoc est per modum cuiusdam affinitatis: unde etiam pari ratione videtur transire ad mulierem quæ est carnaliter cognita, quamvis non sit uxor: unde versus:

*Qui mihi, vel cuius mea natum de fonte lavavit,
Hæc mea commater, fieri mea non valet uxor.
Si qua mea natum, non ex me fonte levavit,
Hanc post fata mea, non inde vetabor habere.*

Ad primum ergo dicendum, quod ex hoc quod sunt diversorum generum unio spiritualis, & corporalis, potest concludi quod una non est altera; non autem quod una non possit esse causa alterius: quia eorum quæ sunt in diversis generibus, unum quandoque est causa alterius vel per se, vel per accidens.

Ad secundum dicendum, quod pater spiritualis, & mater spiritualis eidem non conjunguntur in generatione spirituali nisi per accidens, quia unus ad hoc per se sufficeret: unde non oportet quod ex hoc aliqua cognatio spiritualis inter eos nascatur, quin possit esse inter eos matrimonium: unde versus:

*Unus semper erit compatrum spiritualis,
Alter carnalis: nec fallit regula talis.*

Sed per matrimonium fiunt vir & uxor una caro, per se loquendo: & ideo non est simile.

Ad tertium dico, quod si uxor non sit baptizata, non perveniet ad eam spiritualis cognatio propter hoc quod non est capax, non ex hoc quod non possit per matrimonium traduci spiritualis cognatio à viro in uxorem.

Ad quartum dicendum, quod ex quo inter patrem spiritualem & matrem non contrahitur aliqua cognatio, nihil prohibet quin vir & uxor simul aliquem de sacro fonte levarent: nec est inconveniens quod uxor ex diversis causis efficiatur bis mater spiritualis ejusdem; sicut & potest esse quod est affinis, & consanguinea ejusdem per carnalem propinquitatem.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod filius est aliquid patris, & non è converso, ut dicitur in VIII. Ethic. & ideo spiritualis cognatio transit à patre in filium, sed non è converso: & sic patet quod sunt tres spirituales cognationes. Una quæ dicitur spiritualis paternitas, quæ est inter patrem spiritualem & filium spiritualem. Alia quæ dicitur compaternitas, quæ est inter patrem spiritualem & carnalem ejusdem. Tertia autem dicitur spiritualis fraternitas, quæ est inter filium spiritualem & filios carnales ejusdem patris. Et quælibet harum impedit contrahendum matrimonium, & dirimit contractum.

Ad primum ergo dicendum, quod persona addita per carnis propagationem, facit gradum respectu filii personæ quæ eodem genere atinet, non autem respectu ejus quæ atinet in alio genere; sicut filius atinet in eodem gradu uxori patris in quo & pater, quamvis alio genere atinentiæ. Spiritualis autem cognatio est alterius generis quam carnalis; & ideo non in eodem gradu atinet filius spiritualis filio naturali patris sui spiritualis in quo atinet ei pater ejus, quo mediante cognatio spiritualis transit: & ita non oportet quod spiritualis cognatio habeat gradum.

Ad secundum dicendum, quod frater non est ali-

quid fratris, sicut filius est aliquid patris; sed uxor est aliquid viri, cum qua effecta est unum corpus: & ideo à fratre in fratrem non transit, sive sit genitus ante, sive post fraternitatem spiritualem.

QUÆSTIO II.

Deinde queritur de cognatione legali, quæ est per adoptionem: & circa hoc queruntur tria.

Primo. De adoptione.
Secundo. Utrum ex adoptione contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium.

Tertio. Inter quas personas contrahatur.

ARTICULUS I.

Utrum convenienter adoptio diffiniatur.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter adoptio diffiniatur: *Adoptio est extranea personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio.* Filius enim debet esse subditus patri. Sed aliquando ille qui adoptatur, non transit in potestatem patris adoptantis. Ergo non semper per adoptionem aliquis in filium assumitur.

2. Præterea. Parentes debent filiis thesaurizare: II. Corinth. xii. Sed pater adoptans non oportet quod semper adoptato thesaurizet: quia quandoque adoptatus non succedit in bona adoptantis. Ergo adoptio non est assumptio alicujus in filium.

3. Præterea. Adoptio per quam aliquis in filium assumitur, simulatur generationi naturali, per quam naturaliter filius producit. Ergo cui competit naturalis generatio filii, competit adoptio. Sed hoc est falsum: quia ille qui non est sui juris, & qui est minor viginti quinque annis, & mulier non possunt adoptare, qui tamen possunt naturaliter filium generare. Ergo adoptio non proprie dicitur assumptio alicujus in filium.

4. Præterea. Assumptio extraneæ personæ in filium videtur esse necessaria ad supplendum defectum naturalium filiorum. Sed ille qui non potest generare, ut spado, vel frigidus, maxime patitur defectum in filiis naturalibus. Ergo ei maxime competit assumere in filium aliquem. Sed non competit adoptare ei. Ergo adoptio non est assumptio alicujus in filium.

5. Præterea. In spirituali cognatione, ubi aliquis in filium assumitur sine carnis propagatione, potest indifferenter major ætate effici pater minoris, & è converso: quia juvenis potest senem baptizare, & è converso. Si ergo per adoptionem aliquis assumitur in filium sine carnis propagatione, similiter posset indifferenter senior juniorem, vel junior seniorem adoptare; quod non est verum: & sic idem quod prius.

6. Præterea. Adoptatus non differt secundum aliquem gradum ab adoptante. Ergo quilibet adoptatus adoptatur in filium; & sic inconvenienter dicitur, quod adoptatur in nepotem.

7. Præterea. Adoptatio ex dilectione procedit: unde & Deus dicitur nos per charitatem in filios adoptasse. Sed charitas major est habenda ad proximum quam ad extraneos. Ergo non debet esse adoptatio extraneæ personæ, sed magis personæ propinquæ.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ars imitatur naturam, & supplet defectum naturæ in illis in quibus natura de-

deficit: unde sicut per naturalem generationem aliquis filium producit, ita per jus positivum, quod est ars æqui & boni, potest aliquis sibi assumere aliquem in filium ad similitudinem filii naturalis, & ad supplendum filiorum prædictorum defectum, propter quod præcipue adoptatio est introducta. Et quia assumptio importat terminum à quo, propter quod assumptio non est assumptum, ut in III. Lib. dist. v. quæst. 1. art. 1. quæstione. 3. in corp. dictum est, oportet quod ille qui assumitur in filium, sit persona extranea. Sicut ergo naturalis generatio habet terminum ad quem, scilicet formam quæ est finis generationis, & terminum à quo, scilicet formam contrariam; ita generatio legalis habet terminum ad quem filium, vel nepotem: terminum à quo, personam extraneam. Et sic patet quod prædicta assignatio comprehendit genus adoptionis, quia dicitur *legitima assumptio*; & terminum à quo, quia dicitur *extranea persona*; & terminum ad quem, quia dicitur *in filium, vel nepotem*.

Ad primum ergo dicendum, quod filiaro adoptionis est quedam imitatio filiationis naturalis; & ideo duplex est adoptionis species. Una quæ perfecte imitatur naturalem filiationem, & hæc vocatur *adrogatio*, per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis; & sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest eum pater sine culpa private quartæ parte hæreditatis. Sic autem adoptari non potest nisi ille qui sui juris est, qui scilicet postquam adoptatur, non habet potestatem, aut si habet, est emancipatus: & hæc adoptatio non fit nisi auctoritate Principis. Alia est adoptatio quæ imitatur naturalem filiationem imperfecte, quæ vocatur *simplex adoptio*, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis: unde magis est dispositio quedam ad perfectam adoptionem quam adoptio perfecta: & secundum hanc potest adoptari etiam ille qui non est sui juris; & sine auctoritate Principis ex auctoritate magistratus: & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento demittere, nisi velit.

Et per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod generatio naturalis ordinatur ad speciem consequendam; & ideo competit omnibus posse naturaliter generare, in quibus natura speciei non est impedita: sed adoptio ordinatur ad hæreditatis successionem; & ideo illis solis competit qui habent potestatem disponendi de hæreditate sua: unde ille qui non est sui juris, vel qui est minor viginti quinque annis, aut mulier non potest adoptare aliquem, nisi ex speciali concessione Principis.

Ad quartum dicendum, quod per eum qui habet impedimentum perpetuum ad generandum, non potest hereditas transire in posterum: unde ex hoc ipso jam debetur illis qui ei succedere debent jure propinquitatis: & ideo ei non competit adoptare, sicut nec naturaliter generare. Et præterea major est dolor de filiis amissis quam de filiis. (1) qui numquam habiti sunt: & ideo habentes impedimentum generationis non indigent solatio contra carentiam filiorum, sicut illi qui habuerunt, & amiserunt; vel etiam qui habere potuerunt, sed aliquo (2) impedimento accidentali carent.

Ad quintum dicendum, quod spiritualis cognatio contrahitur per sacramentum quo fideles renascuntur

(1) Al. qui numquam habentes &c. *intermediis omissis.* (2) Al. impedimento alicujus. Nicolai: sed ob aliquod impedimentum accidentale.

in Christo, in quo non differt masculus à femina, servus, & liber, juvenis, & senex: & ideo indifferenter quilibet potest effici pater spiritualis alterius. Sed adoptio fit per hæreditatis successionem, & quamdam subjectionem adoptati ad adoptantem. Non est autem conveniens quod antiquior juveni in cura rei familiaris subdatur: & ideo minor non potest adoptare seniorem; sed oportet secundum leges quod adoptatus sit tantum adoptante junior, quod possit ejus naturalis esse filius.

Ad sextum dicendum, quod sicut contingit amitti filios, ita & nepotes: & ideo cum adoptatio sit inducta ad solatium filiorum amissorum, sicut potest aliquis per adoptionem subrogari in locum filii, ita in locum nepotis, & sic deinceps.

Ad septimum dicendum, quod propinquus jure propinquitatis debet succedere; & ideo non competit ei quod per adoptionem ad successionem deducatur: & si aliquis propinquus cui non competat successio hæreditatis adoptetur, non adoptatur in quantum est propinquus; sed in quantum est extraneus à jure successionis in bonis adoptantis.

ARTICULUS II.

Utrum ex adoptione contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod ex adoptione non contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium. Quia cura spiritualis est dignior quam cura corporalis. Sed ex hoc quod aliquis curæ alicujus subicitur spiritualiter, non contrahitur aliquod propinquitatis vinculum; alias omnes qui habitant in parochia, essent propinqui sacra dotis, & cum filio ejus non possent contrahere. Ergo nec adoptio, quæ trahit adoptatum in curas adoptantis, hoc facere potest.

2. Præterea. Ex hoc quod aliquis alicui fit beneficus, non contrahitur propinquitatis vinculum. Sed nihil aliud est adoptio quam collatio cuiusdam beneficii. Ergo ex adoptione non fit aliquod vinculum propinquitatis.

3. Præterea. Pater naturalis principaliter filio providet in tribus, ut Philosophus dicit, III. Ethic. cap. xi. quia scilicet ab ipso habet esse, nutrimentum, & disciplinam: hæreditatis autem successio est posterius ad ista. Sed per hoc quod aliquis alicui providet in nutrimento, & disciplina, non contrahitur aliquod propinquitatis vinculum; alias nutrices, & pedagogi, & magistri essent propinqui, quod falsum est. Ergo nec per adoptionem, per quam aliquis succedit in hæreditatem alterius, contrahitur aliqua propinquitatis.

4. Præterea. Sacramenta Ecclesiæ non subduntur humanis legibus. Sed matrimonium est sacramentum Ecclesiæ. Cum ergo adoptio sit inducta per legem humanam, videtur quod non possit impediri matrimonium per aliquod vinculum ex adoptione contractum.

Sed contra. Cognatio matrimonium impedit. Sed ex adoptione quedam cognatio causatur, scilicet legalis, ut patet per ejus diffinitionem: est enim cognatio legalis quedam proximitas propinquitatis ex adoptione. Ergo adoptio causat vinculum, per quod matrimonium impeditur.

Præterea. (1) Al. impedimento alicujus. Nicolai: sed ob aliquod impedimentum accidentale.

Præterea. Hoc idem habetur ex auctoritatibus in littera positus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod lex divina illas personas præcipue à matrimonio exclusit quas necesse erat cohabitare, ne ut Rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiscentiæ locus; ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum: & quia filius adoptatus versatur in domo patris adoptantis sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi; & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata: & inde habetur quod legalis cognatio matrimonium impediat.

Et per hoc patet solutio ad prima tria: quia per omnia illa non inducitur talis cohabitatio quæ possit fomentum concupiscentiæ præstare; & ideo ex eis non causatur propinquitas quæ matrimonium impediatur.

Ad quartum dicendum, quod prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit.

ARTICULUS III.

Utrum talis cognatio non contrahatur nisi inter patrem adoptantem & filium adoptatum.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod talis cognatio non contrahatur nisi inter patrem adoptantem & filium adoptatum. Maxime enim videtur quod deberet contrahi inter patrem adoptantem & matrem naturalem adoptati, sicut accidit in cognatione spirituali. Sed inter tales nulla est cognatio legalis. Ergo nec inter alias personas præter adoptantem, & adoptatum.

2. Præterea. Cognatio impediens matrimonium est perpetuum impedimentum. Sed inter filium adoptatum & filiam naturalem adoptantis non est perpetuum impedimentum: quia soluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipatione adoptati, potest contrahi cum ea. Ergo cum ea non habuit aliquam propinquitatem quæ matrimonium impediret.

3. Præterea. Cognatio spiritualis in nullam personam transit quæ non possit ad aliquod sacramentum tenere, vel suscipere: unde in non baptizatum non transit. Sed mulier non potest adoptare, ut ex dictis patet. Ergo cognatio legalis non transit à viro in uxorem.

4. Præterea. Cognatio spiritualis est fortior quam legalis. Sed spiritualis cognatio non transit in nepotem. Ergo nec legalis.

Sed contra. Plus concordat cognatio legalis cum carnis conjunctione, vel propagatione quam spiritualis. Sed spiritualis transit in alteram personam modis prædictis, ut dictum est. Ergo & legalis.

Præterea. Ad hoc sunt auctoritates quæ in littera ponuntur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod triplex est legalis cognatio. Prima quasi descendit, quæ contrahitur inter patrem adoptantem & filium adoptatum, & filium filii adoptivi, & nepotem, & sic deinceps. Secunda quæ est inter filium adoptatum & filium naturalem. Tertia per modum cujusdam affinitatis, quæ

(1) *Al.* Et præterea non est causa quare cognatio spiritualis non transit in baptizatum, non quia &c.

est inter patrem adoptantem & uxorem filii adoptati, vel è converso inter filium adoptatum & uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio, & tertia perpetuo matrimonium impediunt; secunda autem non nisi quamdiu in potestate manet patris adoptantis: unde mortuo patre, vel filio emancipato potest contrahi inter eos matrimonium.

Ad primum ergo dicendum, quod per generationem spiritualem non trahitur filius extra potestatem patris, sicut fit per adoptionem: & sic filius spiritualis manet filius utriusque simul, non autem filius adoptivus: & ideo non contrahitur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem & matrem, vel patrem naturalem, sicut erat in cognatione spirituali.

Ad secundum dicendum, quod cognatio legalis impedit matrimonium propter cohabitationem; & ideo quando solvitur necessitas cohabitationis, non est inconveniens, si prædictum vinculum non maneat, sicut quando fuerit extra potestatem ejusdem patris. Sed pater adoptans, & uxor ejus semper quamdam auctoritatem retinent super filium adoptatum, & uxorem ejus: & propter hoc vinculum manet inter eos.

Ad tertium dicendum, quod etiam mulier ex concessione Principis adoptare potest: unde etiam in ipsam potest transire cognatio legalis. (1) Et præterea causa quare cognatio spiritualis non transit in non baptizatum, non est quia non potest tenere ad sacramentum, sed quia non est alicujus spiritualitatis capax.

Ad quartum dicendum, quod per cognationem spiritualement filius non ponitur in potestate, & cura patris spiritualis, sicut in cognatione legali. Oportet enim quod quidquid est in potestate filii, transeat in potestatem patris adoptantis: unde adoptato patre, adoptantur filii, & nepotes, qui sunt in potestate adoptati.

QUÆSTIO III.

Deinde quæritur de secundis nuptiis: & circa hoc quærentur duo.

Primo. Utrum sint licitæ.

Secundo. Utrum sint sacramentales.

ARTICULUS I.

Utrum secundæ nuptiæ sint licitæ.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod secundæ nuptiæ non sint licitæ. Quia iudicium de re debet esse secundum veritatem. Dicit enim Chrysostomus Auctor oper. imperf. in Matth. hom. xxi. quod secundum virum accipere, secundum veritatem est fornicatio: quæ non est licita. Ergo nec secundum matrimonium.

2. Præterea. Omne quod non est bonum, non est licitum. Sed Ambrosius dicit, tract. de viduis, quod duplex matrimonium non est bonum. Ergo non est licitum.

3. Præterea. Nullus arceri debet ne intersit illis quæ sunt honesta, & licita. Sed sacerdotes arcentur ne intersint secundis nuptiis, ut in littera patet. Ergo non sunt licitæ.

4. Præterea. Nullus reportat penam nisi pro culpa. Sed pro secundis nuptiis aliquis reportat irregularitatis penam. Ergo non sunt licitæ.

Sed contra est quod Abraham legitur secundas nuptias contraxisse: Genes. xxv.

Præterea. I. Tim. v. 14. dicit Apostolus: *Volo au-*

tem juniores, scilicet viduas, nubere, filios procreare. Ergo secundæ nuptiæ sunt licitæ.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod vinculum matrimoniale non durat nisi usque ad mortem, ut patet Rom. vii. & ideo moriente altero conjugum vinculum matrimoniale cessat. Unde propter præcedens matrimonium non impeditur aliquis à secundo, mortuo conjugè; & sic non solum secundæ, sed tertiæ, & sic deinceps nuptiæ sunt licitæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Chrysostomus loquitur quantum ad causam quæ aliquando solet ad secundas nuptias incitare, scilicet concupiscentiam, quæ etiam ad fornicationem incitat.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium secundum dicitur non esse bonum, non quia sit illicitum, sed quia caret illo honore significationis qui est in primis nuptiis, ut sit una unius, sicut est in Christo & Ecclesia.

Ad tertium dicendum, quod homines divinis decti non solum ab illiis, sed etiam ab illis quæ habent aliquam turpitudinis speciem arcentur: & ideo etiam arcentur à secundis nuptiis, quæ earent honestate quæ erat in primis.

Ad quartum dicendum, quod irregularitas, sicut supra dictum est dist. xxix. quæst. 111. arti. 1. non semper inducitur propter culpam, sed propter defectum sacramenti: & ideo ratio non est ad propositum.

ARTICULUS II.

Utrum secundum matrimonium sit sacramentum.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod secundum matrimonium non sit sacramentum. Qui enim iterat sacramentum, facit ei injuriam. Sed nulli Sacramento faciendum est injuria. Ergo si secundum matrimonium esset sacramentum, nullo modo esset iterandum.

2. Præterea. In omni Sacramento adhibetur aliqua benedictio. Sed in secundis nuptiis non adhibetur, ut in littera dicitur. Ergo non fit ibi aliquod sacramentum.

3. Præterea. Significatio est de essentia sacramenti. Sed in secundo matrimonio non salvatur significatio matrimonii: quia non est una unius, sicut Christus & Ecclesia. Ergo non est sacramentum.

4. Præterea. Unum sacramentum non impedit à susceptione alterius. Sed secundum matrimonium impedit à susceptione ordinis. Ergo non est sacramentum.

Sed contra. Coitus in secundis nuptiis excusatur à peccato, sicut etiam in primis. Sed per tria bona conjugii excusatur matrimonialis coitus, quæ sunt fides, proles, & sacramentum. Ergo secundum matrimonium est sacramentum.

Præterea. Ex secunda conjunctione viri ad mulierem non sacramentali, non contrahitur irregularitas, sicut patet de fornicatione. Sed in secundis nuptiis contrahitur irregularitas. Ergo sunt sacramentales.

SOLUTIO.

Respondeo (1) dicendum, quod ubicumque invenitur illa quæ sunt de essentia sacramenti, illud est verum sacramentum: unde cum in secundis nuptiis inveniantur omnia quæ sunt de essentia sacramenti,

(1) *Al.* ulterius dicendum.

quia debita materia quam facit personarum legitimatas, & debita forma, scilicet expressio consensus interioris per verba; constat etiam quod secundum matrimonium est sacramentum sicut primum.

Ad primum ergo dicendum; quod hoc intelligitur de Sacramento quod inducit effectum perpetuum: tunc enim si iteratur sacramentum, datur intelligi quod primum non fuit efficax; & sic fit primo injuria; sicut patet in omnibus sacramentis quæ imprimunt characterem. Sed illa sacramenta quæ habent effectum non perpetuum, possunt iterari sine injuria sacramenti, sicut patet de penitentia. Et quia vinculum matrimoniale tollitur per mortem, nulla fit injuria Sacramento, si mulier post mortem viri iterato nubat.

Ad secundum dicendum, quod secundum matrimonium quantum in se consideratum sit perfectum sacramentum, tamen in ordine ad primum consideratum habet aliquid de defectu sacramenti: quia non habet plenam significationem, cum non sit una unius, sicut est in matrimonio Christi & Ecclesiæ: & ratione hujus defectus benedictio à secundis nuptiis subtrahitur. Sed hoc est intelligendum, quando secundæ nuptiæ sunt secundæ & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahat cum illo qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur: salvatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas nuptias; quia Christus, etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia; sed anima non potest esse sponsa alterius quam Christi, quia cum demone fornicatur, nec est ibi matrimonium spirituale, & propter hoc quando mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod significatio perfecta invenitur in secundo matrimonio secundum se considerato, non autem si consideretur in ordine ad præcedens matrimonium; & sic habet defectum sacramenti.

Ad quartum dicendum, quod secundum matrimonium impedit sacramentum ordinis quantum ad id quod habet de defectu sacramenti, & non in quantum est sacramentum.

EXPOSITIO TEXTUS.

Omnes quos in penitentia accipimus, ita nostri filii sunt ut in baptismo suscepti: non ratione alicujus cognationis; sed propter periculum evitandum, ut dictum est.

Paschalis vero secundus post complicitatem genitos copulari prohibet. Illa prohibitio tunc locum non habet, magis enim fuit propter quandam honestatem quam propter aliquod vinculum.

Si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuito, &c. dixerit, maturiori seroato consilio habeat. Hoc ideo dicitur, quia spiritualis cognatio ad filium spiritualement transit à patre in filium naturalem, quia omnes filii naturales spiritualis patris sunt et fratres spirituales; non autem respectu patris: patri enim spirituali non sunt filii spirituales filii naturales matris, nec è converso.

Quia vero piaculari flagitium commisit qui duabus commatris, vel sororibus nupsit, magis penitentia debet ei injungi. Hoc est intelligendum, quando una illarum est facta commater alteri, postquam uxor ejus est matrimonio consummato, & per actum proprium; alias enim prohibetur, ut dictum est.

DIS-